






1. Carpov / i. iac. / Specimen quintum  
de Applicatione Methodi scienti-  
ficae ad Theologiam revelatam,  
iend.
2. Carpov / i. joh. Bened. / Diss. de  
iure decidendi Controversias theolo-  
gicas, Lipsiae, 1695.
3. Deutschmann / i. Abrah. Henr. /  
Diss. de Immortalitate et Innita-  
bilitate Divinae Essentiae, Witten-  
bergae, 1692.
4. Gesner / i. Salom. / Diss. II. de Eccle-  
sia triumphante in Coelis,  
Wittenbergae, 1595.



JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI,  
 Phil. & SS. Theol. D. utriusque Pro-  
 fessoris Publ. Ordin. Facultatis Philoso-  
 phicæ Senioris

**PROGRAMMA,**  
 DISPUTATIONIBUS PUBLICIS

EX  
 THEOLOGIA DOGMATUM  
 FIDEI  
*Singulis hebdomadibus instituendis*  
 præmissum.



HELMESTADII,  
 TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPGR.  
 Anno MDCCLIII.



JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI  
Phil. & SS. Theol. D. Curator Pro  
fessoris Publ. Ordin. Facultatis Philolo-  
gicæ Senioris

PROGRAMMA  
DISPUTATIONIBUS PUBLICIS

EX  
THEOLOGIA DOGMATUM

PIETATIS  
singulis hebdomadis institendis  
præstantur.



HALLE 1800  
Typis Georgii Weygandii, Acad. Typogr.  
anno MDCCC.







Εὐὸν τῶν Θεῶν.

SUMMÆ ET SANCTISSIMÆ DISCIPLINARUM THEOLOGIÆ  
IN ILLUSTRACADEMIA JULIA  
STUDIOSIS

S. P. D.

JOH. BARTHOLDUS NIEMEIERUS. D.



Uamvis Ecclesia Christi in Novo Testamento non æquè, ac Judaica Veteris Testamenti Ecclesia, ad certum vel locum, vel populum adstricta esse debuerit, sed intergerini parietis septo soluto (a) ceremoniisque legis, quibus Judæorum ac gentium discrimen continebatur, sublatis, alia quoque oves, quæ ex ista caula non erant, adducenda fuerint, ut fieret unum ovile, sicuti unus est pastor, (b) atque aded Apostolis post resurrectionem Domini in mundum unversum exeundum, atque Evangelium omni creatura, quæ sub caelo est, pradicandum fuerit, (c) ut ab ortu solis usque ad occasum ejus nomen Domini magnum esset inter gentes, & in omni loco nomini ejus incensum offerretur, (d) multiq; ab Oriente & Occidente venturi suò tempore accumberent cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno caelorum, (e) non tamen nisi unum ovile constitui, sed omnes ac singulos fideles, unanimes, & sententiis unos, (f) unitatem spiritus & vinculum pacis servare studentes (g) in unum corpus mysticum, cujus caput ipse Christus

(a) Eph. II. 14.  
(b) Joh. X. 16.  
(c) Marc. XVI. 15.  
(d) Col. I. 6. 23.  
(e) Malach. I. n.  
(f) Matth. XIX. 2.  
(g) Phil. II. 2.  
(h) Eph. IV. 3.





(h) Eph. I. 22. *Christus esset, (h) inque unam Ecclesiam Catholicam ita coalescere oportuit, ut multitudinis credentium sicuti una fides, ita & cor unum esset, & anima una.* (i) Hoc enim ipsum Servator ad passionem & acerbissimam mortem accessurus Apostolis iisq; qui per sermonem ipsorum in se credituri erant, suspiriis ac precibus suis à Deo Patre impetravit, ut qui per veritatem sanctificati Patrem solum verum Deum, & quem misit, Jesum Christum cognoscentes, Filioque dati, sermonem ejus servaverint, unum essent, sicuti Filius & Pater unum sunt. (k) Quam sanè Ecclesiam unitatem S. Cyprianus (l) à Servatore his verbis: (m) Super hanc petram (petra autem est Christus,) (n) edificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum adversus eam non prevalebunt; indicatam fuisse docet, inquit: Super unum, tanquam fundamentum, Christus aedificat Ecclesiam suam. — Ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suam auctoritate disposuit. — Exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstraretur: quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum designat. (o) Rursus: Hanc Ecclesia unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesia reniturus & resistit, in Ecclesia se esse confidit? Idem S. Cyprianus: (p) Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super petram Domini voce fundata. Et iterum: (q) Illud primò loco pono: graves viros & semel super petram solidà stabilitate fundatos, non dico aurà levi, sed nec ventò aut turbine commoveri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus, velut quibusdam ventorum incurantium flatibus, frequenter agiteretur, & à proposito suo cum quadam levitatis reprehensione mutetur. Quibus jungi merentur, quæ apud Origenem, (r) Augustinum, (s) & Theophylactum (t) hanc in rem leguntur. Sed adhuc semel audiendus est Cyprianus, qui etiam Ecclesiam unitatem ex his Apostoli verbis (u) colligit: Unum est corpus, & unus Spiritus, sicuti & vocati estis in unam spem vocationis vestra: unus Dominus, una fides, unum baptisma: unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis. Quibus Apostoli verbis allegatis subjungit Cyprianus: Quam unitatem Ecclesiam firmiter tenere & vin-

(h) Eph. I. 22.  
IV. 15. V. 23.  
Coloss. I. 18.  
(i) Act. IV. 32.

(k) Joh. XVII. 3.  
6. 7. 11. 20. 21.  
22. 23.  
(l) libr. de Unit.  
Eccles.

(m) Matth. XVI.  
18.

(n) I. Cor. X. 4.

(o) Cant. VI. 9.

(p) Epist. XLIII.

(q) Epist. LV.

(r) Comm. in  
Math. XVI.

(s) Tract.  
CXXIV. Expof.  
in Evang. Joh.

(t) in Matth.  
XVI.

(u) Eph. IV. 4.  
5. 6.



¶ vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praeside-  
mus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atq; indivisum probemus.  
Nemo fraternitatem mendacis fallat: nemo fidei veritatem perfidam  
pravaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cuius a singulis  
in solidum pars tenetur. Ecclesia quoq; una est, qua in multitu-  
dinem latius incrementis fecunditatis extenditur: quod modis solis  
multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur  
unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi  
defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copia largi-  
tate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radius solis a cor-  
pore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum,  
fractus germinare non poterit: a fonte praece riuum, praecisus are-  
scet. Sic Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos  
porrigit, unum tamen lumen est, quod ubiq; diffunditur, nec unitas  
corporis separatur: ramos suos in universam terram copia libertatis  
extendit: unum tamen caput est, & origo una, & una mater fu-  
cunditatis successibus copiosa. Haec Cyprianus. Ad ipsa haec  
Apostoli verba quoque respiciens Bellarminus sextuplicem  
Ecclesiae competentis unitatis rationem annotat, (x) libr. III. de  
Quod unitas Ecclesiae consistat in conjunctione membrorum inter se  
& cum capite, probatur: nam multiplex in Ecclesia unitas inve-  
nitur. Prima est unitas ratione ejusdem principis, id est, Dei  
vocantis. Unus nempe Deus & Pater omnium, trahens  
eos, qui ad ipsum sunt venturi. (y) Per quem tamen mo- (y) Joh. VI. 44.  
dum Ecclesiam non tam unam, quam ex uno esse, Bellarminus  
fatetur. Secunda est unitas ratione ejusdem finis ultimi. O-  
mnes enim vocati sumus in unam spem vocationis nostrae,  
quae est salus aeterna. Quamvis per hanc unitatem Eccle-  
sia non tam sit una, quam ad unum. Tertia est ratione eorun-  
dem mediolorum, id est, Fidei & Sacramentorum. Hinc dicitur:  
Una fides, unum Baptisma. Sed & per hanc unitatem  
Ecclesia non tam una est, quam per unum. Quarta est ratio-  
ne ejusdem Spiritus Sancti, a quo tanquam externo & sepa-  
rato Rectore universa Ecclesia gubernatur. I. Cor. XII. II.  
Quamvis per hanc rationem Bellarminus Ecclesiam non tam



unam, quam sub uno esse dicat. Quinta est ratio ejusdem capituli, tanquam interni & conjuncti Rectoris, Christi. Ephes. I. 22. Sexta est ratio connexionis membrorum inter se, & præcipue cum capite, Christo; ut est principale membrum. Rom. XII. 4, 5. Atque per duas has postremas rationes, quintam & sextam, Bellarmino Ecclesia proprie una est, id est, unum corpus, unus populus, una societas. Fideles itaque etiam si locorum intervallis à se longissimè sint sejuncti, fides tamen salvifica eos quàm maximè inter se unit; eadem etiam fides fideles cum capite, Christo, conjungit, ut sui sint, quos ipsi Pater dedit, ut ipsis det vitam æternam.

(e) Joh. XVII. 2. nam, (z) atque ab eodem capite specialem influxum ad actiones spirituales accipiant & persentiscant. Quæ tamen fides etiam per charitatem, si non actualem, minimùm tamen habitualem, est in-

(d) Gal. V. 6. quàm, (a) cum hoc præceptum Christi nobis sit datum, ut invicem nos diligamus, sicuti ipse Christus dilexit nos, ut etiam alios dili-

(b) Joh. XIII. 34. gamus, (b) quippe qui dilexit Ecclesiam, ac semet ipsum exposuit pro ea: Sumus enim membra corporis ejus, ex carne ejus & ex ossibus

(c) Eph. V. 25. 30. ejus. (c) Qui ergo à fide salvifica ejusque fundamento recedit, ut faciunt hæretici, vel fidei fundamentò retentò vinculum charitatis solvit, id quod faciunt Schismatici, ab unitate Ecclesie recedit, atque ceu ramus avulsus, aut mortuum membrum influxu spirituali à capite in membra defluente se priyat, eternaque salute excidit. Quilibet igitur hæreticus, quantum in se est, schisma operatur, quamvis & citra hæresin, (schisma oriri, ac per illud ab unitate Ecclesie secessio fieri possit.

Hæretici falsa de Deo sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici verò dissensionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, qua nos credimus; verba sunt Augustini. (d) Tunc est schisma, quando unum membrum non vult amplius esse membrum illius corporis mystici, (Ecclesie catholice,) nec sub illo capite, Christo; quare tollit unitatem essentialem, atque Ecclesiam ipsam.

Schismaticum igitur non est de Ecclesia; inquit Bellarminus. (e) Benè etiam S. Cyprianus: (f) Quisquis ab Ecclesia segregatus adultere jungitur, à promissis Ecclesie separatur. Nec pervenit ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi: Alienus est, profanus est.

(e) l. e.

(f) l. c.

(d) lib. de fid. & symb. cap. XX.



est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit: & qui extra Ecclesiam foris fuit, evadet. Monet Dominus, & dicit: Qui non est mecum, adversus me est: & qui non mecum colligit, dispergit. (g) Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus. (h) (i) Joh. X. 30. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt: (i) & quisquam credit hanc unitatem de divina (i) I. Job. V. 7. firmitate venientem, sacramentis cœlestibus coharentem, scindi in Ecclesia posse, & voluntatem collidentium divortio separari? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filii fidem, & veritatem non tenet ad salutem. Sic ergo fidei, charitate, si non actuali, saltem habituali, roborata unitas, atque in illam fidem consensus futuros regni cœlorum confortes arctissimè cum inter se, tum etiam cum Christo, tanquam capite, ad unam Ecclesiam constituendam conjungit! Ad quam si insuper externa Sacramentorum communio accesserit, fidei confortes tantò magis in unam societatem coalescent. Dum autem hòc pacto Ecclesiam unam esse dicimus, facile patet, non ad eò exactum, in minimis ac maximis, consensum requiri, ut nullà in re, salvà manente unitate, dissentire liceat. Certè fieri potest, ut diversi ritus, ceremoniæque diversæ in diversis Ecclesiis particularibus obtineant, quæ tamen ceremoniarum ac rituum diversitas unitatis Ecclesiæ vinculum non solvit. Quod ipsum D. Ambrosium non fugit, qui ab Augustini matre per filium aliquando consultus: utrum juxta suæ civitatis morem Sabbathò jejunare, an verò Ecclesiæ Mediolanensis, in qua tum degebat, consuetudinem sequi, cibumque capere deberet? respondit: *Quid possum hinc docere amplius, quam ipse facio? Quando hic (Mediolani) sum, non jejunio Sabbathò; quando Roma sum, jejunio Sabbathò: & ad quamcunque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere, uti ex ipso Augustino (k) discere licet. Sed nec circa quaestiones, quas annatus vocamus, quæque fundamentum fidei non*

(k) Epit.  
XXCVI. ad Ca-  
sulanum.



non attingunt, siue quibus vel affirmatis, vel negatis fidei fundamentum adhuc saluum manet, enatus dissensus unitatem Ecclesie tollit, sed salva ea manebit, modò quoad dogmata fidei fundamentalia consensus maneat. Et de hoc consensu Chrysoströmus (l) ita loquitur: Ecclesiam Dei vocat Paulus, ostendens eam oportere esse unitam. Si enim Dei est, unita est, & una est non modo Corinthi, sed & in toto orbe. Nomen enim Ecclesia non est nomen separationis, sed unitatis, & concordia, & consensus. Nec minùs Augustinus: (m) Non potest esse particeps divina caritatis, qui est hostis unitatis. Hinc quamvis iam tùm Apostolorum temporibus quædam dissentientes sententiæ gliscerent, illæ tamen quò minùs in schisma degenerarent, cavendum fuit. Ita ipsemet Paulus observabat, apud Corinthios alium dicere: Ego sum Paulus, alium verò: ego sum Apollo, alium: ego vero sum Cepha; alium: ego verò sum Christi. Sed simul eos adocet, quò ipso inter eos sunt lites & dissidia, eos carnales esse, & secundum hominem incedere? Quid enim? num dispersum est Christum? num Paulus crucifixus est pro vobis, aut in mortem Pauli baptizati estis? Quis est Paulus? Quis est Apollo? nisi ministri, per quos credidistis, & ut cuique Dominus dedit. Ego (Paulus) plantavi, Apollo rigavit, sed Deus dedit incrementum. Quapropter precor vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis coagmentati eadem mente & sententiâ. (n) Sed & in eadem Ecclesia Corinthiaca non solum circa res levioris momenti & indifferentes, ad ordinem tamen servandum facientes, adeoque bonos & utiles ritus, contentiones emergebant, sed & circa ipsius Eucharistiæ ritus dissensiones oriebantur. (o) De prioris generis contentionibus autem ita iudicat: Quod si quis videtur contentiosus esse, is sciat, nos eiusmodi consuetudinem non habere, neque Ecclesie Dei. Sed nec posterioris generis contentiones laudat vel probat, cum non cum emolumento, sed cum detrimento conjunctæ sint, licet suppositâ hominum perversitate & malitiâ aliter vix fieri possit, quin hæreses & sectæ existant, ut qui probati sunt, in verbo Dei acquiescentes, nec pacem Ec-

(l) In I. Epist. ad Corinth.

107 X. 107

(m) Epist. I.

(n) 1. Cor. I. 10-12. III. 4. 5. 6.

(o) 1. Cor. XI. 16. 17-19.

108  
109  
110



Ecclesiæ turbantes *manifesti fiant inter eos*, eorumque probitas aliis exemplum præbeat. Quin quòd propter hypocrisin observandæ legis inter Petrum ac Paulum dissensus ortus fuerit, ideò, quòd ille gentilibus, sive iis, qui ex gentilismo ad Christianismum accesserant, sese adjungens, discrimen ciborum non servaret, atque à conversis Judæis Antiochiam Hierosolymis venientibus se subducens, imò & alios simulatione suâ turbans nihilominus in gratiam Judæorum gentes validè induceret, ut *judæizarent*, & ceremonias legis observandas esse existimarent. Quod ipsum cum sublatâ lege ceremoniali veritati evangelicæ, cujus consequens *libertas evangelica* erat, parum conveniret, Paulus Petro *in faciem* sive *in eos obstitit*, eò quòd *reprehensibilis esset*, ostendens ei, quòd *non rectò pede incedat, ut veritati Evangelicæ, conveniat.* (p) Quæ tamen reluctatio & reprehensio non separationem Ecclesiæ, sed potius ejusdem unitatem respiciebat, cum *operibus legis homo non justificetur, sed per fidem Jesu Christi*. Circa quem locum Hieronymus & Augustinus, nec fidei, nec charitatis vinculò ruptò, diversas sententias foverunt, illò existimante, rem hanc inter duos istos Apostolos, Paulum atque Petrum, non ex animo, sed per sanctam quandam simulationem peractam esse, ac Petrum à gentibus se subtraxisse, ne Judæi offenderentur, ex composito autem à Paulo reprehensum esse, ut vicissim gentibus propter illam, quæ cum ipsarum injuria sive ignominia conjuncta esse videbatur, subductionem satisfaceret. Pro qua sua sententia Hieronymus Origenem & Græcos in testimonium vocat. Et sanè in eandem sententiam Chrysostomus quoque, Theophylactus & Oecumenius concesserunt. Augustinus verò Petrum à Paulo nec injuriâ, nec simulatè, sed meritò & verè propterea reprehensum fuisse arbitratur, quòd licet eadem cum Paulo sentiret, ceremonias nempe legis homini Christi fidem professo ad salutem nequaquam esse necessarias, gentilibus tamen contrarium opinandi justam dederit suspensionem; quâ in opinione, Cyprianum & Ambrosium sibi præivisse Augustinus existimat. (q) Sicuti verò harum sententiarum divortia Patri-

(p) Gal. II. m.  
scqq.

(q) Vid. Augustin. Tom. II.  
Opp. Epist. IIX.  
scqq. usq. ad XX

B



bus hisce nullam sive hæreseos, sive schismatis notam inusserunt, ac neutrum ab Ecclesiæ unitate segregem fecerunt, ita nec quisquam S. Augustino propterea dicam scripsit, quòd infidelium infantibus non baptizatis mitissimam pœnam, quæ tantùm damni & privata est, in inferno assignaverit; idque idè, quòd non tam agendo, quàm habendo peccatum deliquerint. Unde à veritate haud alienum esse putavit, si statuatur, tales infantes non tam patiendo, quàm carendo punitum iri. Quæ sententia, quamvis ab Ecclesia Catholica constanter recepta non sit, in eam tamen S. Augustinus (r) inclinavit, ita inquit: *Si, quod Servator de Sodomis ait, (s) & utique non de solis intelligi voluit; alius aliò tolerabiliùs in die judicii punietur; quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissimà futuros? Nihilominus Augustinus, vel potiùs Fulgentius (t) firmissimè tenendum & nullatenus dubitandum asserit, parvulos in uteris maternis aut quòvis aliò casu, antequam baptismum susceperint, extinctos ignis aeterni sempiternò supplicio puniendos esse. Insuper nemo Hieronymo & Augustino vitio vertit, quòd doctrina de peccato originis eosdem in diversas de animæ rationalis origine pertraxerit sententias: dum enim ille Deum peccati autorem esse non posse, hic verò hominem cum peccato nasci contra Pelagianos rectè contenderet, animæ rationalis origo ita utrumque exercuit, ut Hieronymus (u) Deum patrem (h. e. autorem) animarum esse, non homines, docuerit, Augustinus verò (x) eorum sententiam, *nes ad lit. cap. XXIII. quis animas ex parentibus creari putant, præponderare duxerit: ut ut immortalitatem animarum hòc pacto periclitari videns, quaestionem de origine animæ tam difficilem sibi videri fassus sit, ut certi aliquid determinare nondum valuerit, (y) præsertim quòd & Apollinaris, uti est apud Gregorium Nyssenum, (z) censuisset, animas ab animabus produci, sicut à corporibus corpora. Et contra quosdam Latinos, Tertullianum præcipuè, Ruffinum & Hieronymum aliosque Græci non minùs, Theophilus nempe Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Chrysoströmus, Theodoretus,**

(r) libr. V. ad  
 vers. Julian. Pe-  
 lag. cap. IIX.

(s) Luc. XII. 46.

(t) libr. de Fid.  
 ad Petrum cap.  
 XXVII.

(u) Comm. ad  
 Eccles. XII. 7.

(x) libr. de Ge-  
 nes. ad lit. cap.  
 XXIII.

(y) libr. I. ad  
 vers. Vincent.  
 Victor. cap. V.

(z) libr. de A-  
 nim. cap. VI.

Hanc T. m. lib.  
 XII. lib. 4. cap. 1.  
 XXIII. p. 101. 200



odoretus, quàm alii ex Latinis, Lactantius, Autor Sermonis de Resurrectione Christi apud Cyprianum, Hilarius, Cæsius Arelatensis, aliique creationem animæ ita odstruxerunt, ut non dubitaverit: *Dicimus, creationem animæ solum creatorem omnium nosse, & corpus tantum per conjugii copulam seminari, -- ac formatò jam corpore animam creari & infundi, ut vivat in utero homo ex anima constans & corpore, & egrediatur vivus ex utero plenus humanà substantiâ.* Etrursus: *Anima humana non cum carne seminatur, sed formatò in ventre matris corpore, Dei judicò creatur & infunditur, ut vivat homo intus in utero, & sic procedat natiuitate in mundum.* Sicuti verò certamina cum Pelagianis Augustinum de animæ rationalis origine anxium reddiderunt, ita & iidem gratiæ divinæ hostes occasio ipsi fuerunt, ut in sententiam de absoluto Prædestinationis ac reprobationis decreto, in Ecclesia hæcenus nondum auditam, præceps ruerit. Cùm enim Pelagiani quicquid boni salutaris est in homine, ab ejusdem viribus secundum liberum arbitrium ita pendere opinarentur, ut gratiâ divinâ neque præveniente, neque cooperante ipsi opus esset, Augustinus amplificandæ gratiæ divinæ ergò libertati hominis non nihil derogavit, ac gratiæ divinæ ita adscripsit omnia, ut secundum istius gratiæ determinationem, fatalem quandam necessitatem inducentem, cuncta, ipsam etiam conversionem hominis, & fidem, & novitatem vitæ fieri perhibuerit. Cui fundamentum deinceps sententia de absoluto prædestinationis & reprobationis decreto fuit inædificata, ita ut quidam ex divino æternoque proposito, absolutoque decreto ad gloriam fuerint prædestinati, quidam verò in peccatis suis antecedentibus derelicti ac reprobi facti debitis peccatis ipsorum suppliciiis absolutò quòdam decreto fuerint destinati. Quæ sanè de absoluto Prædestinationis ac Reprobationis decreto, sententia sicuti tùm nova, ita ab Hieronymi aliorumque, decreta divina conditionata facientium, mente longè erat remota; sicuti nec sequentium seculorum Doctoribus eadem sese probavit. Ut enim de eo non dicamus, quòd Semi-Pelagiani Augustini



gustini hac in re affectas *Prædestinarianorum* nomine traduxerint, in ipsa etiam Ecclesia emerferunt, qui quod circa Augustinum, ob magnum & venerabile ejus nomen, sibi licere haud putarunt, tandem tamen circa Faustum Regiensem sunt executi. Quamvis enim Faustus hic Semi-Pelagianorum erroribus esset infectus, hâc tamen usus est calliditate: Scilicet ut venena suorum errorum animis hominum absque suspitione instillare posset, duobus libris *de gratia & libero arbitrio*, sub eorundem initium Pelagio bellum indixit, atque Augustini partes se tueri simulavit, cum tamen id ita egerit, ut tela ab Augustino vibrata in eundem retorserit, ac Semi-Pelagiana decreta stabiliverit. (b) Ex quo factum, ut Augustini sententiæ paulò exactius expensæ, suppressôque Augustini nomine, ut honor & autoritati ejus consuleretur, in Fausto Regiensi improbatæ fuerint. Quò in negotio ex Latinis *Casarius Arelatensis*, *Avitus Viennensis*, *Fulgentius Ruspensis*, ex Græcis verò *Petrus Diaconus*, nec non *Iohannes Maxentius* alacres se præbuerunt. (c) Quorum sententiæ huc tendunt: Sicuti gratia divina nullam necessitatem infert, ita nec decretum gratiæ de salvandis hominibus esse absolutum, sed fidei finalis prævisionem supponere ac sequi, sicuti & reprobationis nonnullorum ab æterno factum decretum à finalis incredulitatis & impœnitentiæ prævisione sit suspensum. Quæ sententia licet Scripturæ Sacræ sit conformis, ac proinde Augustini de absoluto prædestinationis & reprobationis decreto doctrinæ longè sit anteferenda, per eam tamen Augustinus ab unitate Ecclesiæ non recessit, neque schismaticus, aut hæreticus fuit habitus, manifestò indicidò, *non omnem errorem statim etiam esse hæresin, quamvis omnis hæresis, qua in vitio ponitur, nisi errore aliquò hæresis esse non possit*, fatente ipsòmet Augustinò; (d) neque ad Ecclesiæ unitatem consensum in omnibus, etiam ad quod vulgè annatis quæstionibus, esse requirendum, sed sufficere, si per Spiritûs Sancti gratiam Ecclesia *in unitate fidei*, dogmata fundamentalia respicientis, conservetur. Benè etiam Hutterus inquit: (e) *Statuimus ipsi, non quemvis statim errorem facere hæreticum;*

(b) Vid. Petav. Tom. I. Dogm. Theol. libr. IX cap. II.

(c) Vid. Cabas. Fut. Notit. Eccl. Sec. V. p. 226. sqq.

(d) Præfat. ad libr. de Hæres. ad Quod vulgè Deum.

(e) In Irenic. cap. XIII.



*scum, & fundamentum fidei evertere: sed eum tantum, qui directè  
 in articulum fides impingit: & pertinaciter defendit.* Instituto  
 nostro præclarè quoque S. Cypriani exemplum inservit:  
 Seculò III. gravis quæstio de baptismo ab hæreticis collato fuit  
 mota, quem Concilium Africanum sub Agrippino, Cartha-  
 ginis Episcopo, coactum improbavit, atque homines ab  
 hæreticis baptizatos nullatenus in Ecclesiam admittendos esse  
 statuit, nisi denudè in Ecclesia baptismum accipiant. (f) Quod  
 decretum in alia Synodo Africana à Cypriano celebrata con-  
 firmatum fuit. Dum tamen Cyprianus Epistolâ Synodicâ  
 Stephanum, Romanum Episcopum, diversa sentientem eâ  
 de re certiore fecit, noluit quidem sibi Stephani opinionem  
 obrudi, cavit tamen, ne ex illa concertatione schisma oriretur,  
 testatus, nihil illò decretò aliorum libertati præjudicari, ut  
 oppositum eis sentire non liceat, si ita eis videatur, sine ulla Ec-  
 clesiasticæ unitatis labe. (g) Et ad Pompejum (h) scripserat, non  
 esse dirimendam ab his, qui dissentiunt, communionem. Quam  
 sanè Cypriani, utut in errore versantis, modestiam Augustinus  
 (i) mirificè laudavit, manifestò exemplò, non quemlibet  
 errorem, nec quemlibet dissensum Ecclesiæ unitatem solvere,  
 atque novos leviores tolerandos fratribusque ob ignorantiam  
 condonandos esse. Certè non erit Donatistarum exemplum  
 imitandum, qui neminem ad se venientem recipiebant, inque  
 suam sectam adsciscebant, nisi ejuratò Baptismò, quem prius  
 in Ecclesia Catholica susceperat. Eorum sanè hæreticorum,  
 qui, eum de catholica Ecclesia discedunt, regulam baptismatis secum  
 abstulerunt, (k) Baptismus non erit invalidus, quamvis eorum  
 fides sub iisdem verbis aliud opinantium; quam catholica veritas  
 docet, non sit integra, sed fabulosis falsitatibus inquinatâ. (l) Sanè in  
 Concilio Nicæno (m) de Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam  
 confugerant, statutum est, ut ii omninò rebaptizentur. Quod  
 ipsum tamen de Catharorum, id est, Novatianorum,  
 uti & Arianorum baptismo (licet de Arianorum baptismo Ba-  
 silio Magno (n) & Athanasio, (o) quorum uterque Concilio  
 Nicæno interfuit, aliud fuerit visum,) non edixit. Vnde  
 B 3 Hiero.

(f) Vid. Cypri-  
an. Epist. LXXXI  
& LXXXIII.

(g) Epist. LXXXII.  
(h) Ep. LXXXIV.

(i) Ep. XLIX.  
& libr. I. de Bapt.  
advers. Donat.  
cap. XVII. libr.  
V. cap. XXV.

(k) Augustinus  
de Hæres. cap.  
44.

(l) Id. libr. III.  
contra Dona-  
tist. cap. V.

(m) Can. XIX.

(n) Epist. ad Am-  
philoch.

(o) Orat. III. ad-  
vers. Arianos.



(p) aduers. Luciferian.

(q) libr. III. de Baptism. contra Donatistas.

(r) Epist. ad Himerium Tarraconenf. (s) Epist. XXII. cap. V.

(t) Can. IIX.

(u) Can. XVII.

(x) De Ecclef. Dogmat. cap. III. Conf. Nott. Elmenhoriti ad h. l.

Hieronimus: (p) Synodus quoq; Nicana omnes hereticos suscepit, exceptis Pauli Samosatani discipulis. In specie de Arianis id ipsum Augustinus (q) & Siricius Papa (r) testantur; rationem verò istius rei Innocentius I. Papa, (s) hanc reddit: Quia Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant, & Novatiani iisdem tremendis venerandisq; nominibus baptizant. Meretur hæc in causa expendi Canon Concilii Arelatensis primi, annò 314. celebrati: (r) De Afris, (Donatillis per Africam dispersis) quòd propriâ lege suâ utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; & si perviderint, eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. Pariter in Concilio Arelatensi II. annò 389. (u) ita statutum fuit: Bonosianos (suam hæresin Photinianæ addentes, atque Christum ex Patris substantia ante secula natum esse negantes, neque proprium Dei filium, sed tantum adoptivum venerantes,) ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos in Trinitate baptizare manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde credere confessi fuerint, chrismate & manûs impositione in Ecclesia recipi sufficit. De toto hoc negotio meretur Gennadius Massiliensis audiri. Ita autem ille: (x) Baptisma unum est, sed in Ecclesia, ubi una fides est, ubi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti datur. Et idè si qui apud illos hereticos baptizati sunt, qui in sancta Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio vel confessio annulletur: sed doceantur & integrè instruantur, quòd sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesia teneatur: & si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri, purgati jam fidei integritate confirmetur manûs impositione. Si verò parvuli sint & hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi: & sic manus impositione & chrismate communiti, eucharistia mysteriis admittantur. Illos autem, qui non sanctæ Trinitatis invocatione apud hereticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronuncia-



nunciamus, non rebaptizari. Neq; enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juxta regulam à Domino positam tincti sunt: ut Pauliani, Procliani, Borborita, Siphori, qui nunc vocantur Bonosiani, Photiniani, Montanite, qui & Priscillani, & Manichæi, variaq; impietatis germina: vel cetera istorum originis sive ordinis pestes, quæ duo principia sibi ignota introducunt, ut Cerdon & Marcion: vel contraria, ut Manichæus: vel tria & barbara, ut Setianus & Theodosius: vel multa, ut Valentinus: vel Christum hominem fuisse absq; Deo, ut Cerinthus, Ebion, Artemon, & Photinus. Ex istis, inquam, si qui ad nos venerint, non requirendum ab iis, utrum baptizati sint, an non, sed hoc tantum, si credant Ecclesie fidem, & baptizentur ecclesiastico baptizare. Satis superque indicatum, in Ecclesia partim de iis quæstionibus, quæ non quidem de substantia fidei sunt, circa fidem tamen enascuntur, nec non circa Sacramenta & alios ritus dissensiones in Ecclesia subinde fuisse exortas, quæ tamen unitatem Ecclesie nec solverint, nec alterutram partem ab ista unione & communione abstraxerint. Id quod per omnia ferme secula ex historia sacra in proclivi esset ostendere, si instituti presentis ratio id pateretur. Interim hæc & similia Bellarmino expendenda relinquimus, dum Formulæ Concordiæ Autoribus, à Synergistarum, Interimistarum, Flacianorum, Andreæ Osiandri, Samuelis Huberi, Antinomorum erroribus alienis, non solum errores, imò mendacia, sed & dissidia exprobrat. Præterquam enim quòd in libro, propemodum scurrili, qui *Judicium de Formula Concordiæ* inscribitur, (y) Formulam Concordiæ inter se pugnantia continere ait, numerosam etiam subscriptionem eidem subjunctam ingentis discordiæ signum esse ducit: ad quam dissensionis inter nostrates notam eluendam nihil omnino profic subscriptione tot millium, etiam vilium, personarum. Imò ait, se notasse vanitatem eorum, qui, ut concordiam in doctrina maximam esse apud Lutheranos ostenderent, coegerant ad subscribendum dogmatibus fidei turbam Lud-magistrorum, Hypodidascalorum, & similibus, qui neq; auctoritate, neq; scientiâ pollent, ut de dogma-

(y) Tom. II.  
Controv. p. m.  
482. & Apol.  
pro cod. p. 501.



62  
 ribus, præsertim controversis, iudicare possint. Dicit, se & Pontificios nostratibus exprobrare solere, quòd in gravissimis dogmatibus inter se non conveniant; id quod de viris doctis, vel certè qui docti haberi volunt, se intelligere palam profitetur. Imò addit: Scimus autem non solum in tota Germania inter varias Lutheranorum sectas, sed in ipsa quoq; Saxonia, atq; inter eos, qui propriè Lutherani dici volunt, dissensiones esse gravissimas, adeò ut alii aliis gravissimos errores objecerint, imò qui conciliationis gratiâ convenirent, absq; ulla spe concordia inde discesserint. Rudolphus quoque Hospinianus in Concordia discorde inter alia hoc agit, ut non solum Formulam Concordiæ falsorum dogmatum, toti Antiquitati puriori, imò ipsi Augustanae Confessioni repugnantium, antilogiarumq; sive contradictionum ream agat, sed & Wilhelmi & Ludovici, Hassiæ Landgraviorum, literas ad Augustum, Saxonix Electorem, Cassellis d. 10. Septembr. 1567. datas fol. 70. allegat, in quibus illi de nostratium diffidiis conquerentes inter alia sic scripserunt: Nos — nostris contentionibus, rixis & condemnationibus nobis ipsis, tantum negotii facesimus, ut Jesuitarum ordo interea indies magis magisq; crescat, numerus discipulorum illorum augeatur, nostrorum vero minuat, adeò, ut, si ita perrexerimus, metuumdum valde sit, ne nos ipsos, vel saltem posteritatem nostram clarissimâ luce Evangelii privemus, & in densissimas funestissimâq; Papatûs tenebras detrudamus. Ad Deum itaq; preces supplices fundere debemus, ut infansum hoc certamen de Cæna si non ad concordiam communem, saltem ad tranquillitatem aliquam clementer dirigat. Bellarmino pollicem pressit Archi-Chiliasta notissimus, (z.) qui temperare sibi non potuit, quin nostratibus diversas sententias & divortia sententiarum, præsertim in materia de spiritibus & quaxi detentis, atque ad eos Christi ad carcerem, in quo erant, descendis, exprobraret, simul etiam exclamaret: quot in aliis dogmatibus scissure & opinionum varietates occurrunt! quot Academia inter Protestantes in diversa abeunt! quàm acerbè collis animis Christiani nominis Doctores inter omnes religiones secum digladiantur! — Inter Wittenbergenses & Helmsladienses, & alios Professores  
 Theolq

(z.) Joh. Wilh.  
 Peterfen in A-  
 nimadyerf.  
 S. 34.



Theologos pugnas, seditiones ac tumultus esse conqueritur; unde fieri causatur, quòd ad Christianismum, in specie qualem Protestantes profitentur, accessurus à bono proposito retrahatur. Mirum, quòd non simul concertationes alias Sec. XVI. & XVII. enatas Ecclesiis nostris exprobet, illam præcipuè, quæ circa annum 1621. inter Tubingenses ac Giessenses Theologos agitata fuit, dum Tubingenses statuerunt, *Christum secundum humanam naturam in profundissima nequissimo statu, adeoque in media morte unà cum τῷ λόγῳ cælum & terram gubernasse, quamvis occultò modò. Unde statum exinanitionis non tam per νέωσιν, sive evacuationem usûs communicatae majestatis, quàm per νέωσιν sive occultationem desiniverunt.* Contra verò Giessenses statum exinanitionis per veram evacuationem usûs communicatae majestatis desiniverunt. (a) Verum enim verò ut utrique tam (a) Vid. Kromayer. Histor. Eccles. Centur. XVII. p. 528. Bellarmino, quàm vano Chiliastræ satisfiat, subinde, quòd sæpius diximus, repetendum est, non quemlibet dissensum unitati Ecclesiæ officere, cum & in rebus ad ipsùm fidei fundamentum non pertinentibus *diversum sentire duobus incolumi liceat semper amicitia*; nullum verò circa ipsùm fidei fundamentum dissensum nostratibus hi adversarii objicere, multò minùs ejusdem ipsos convincere poterunt. Atque in illo dissensu examen veritatis intelligentioribus est relictum. Quòd si quis diversis Doctorum sententiis in dubitationem de religionis veritate se abstrahi patiatur, ei eruditum B. G. Calixti discursum in Apologia contra Wellerum (b) (b) lit. Kl. 3. expendendum commendamus. Neque enim apud nos dissensiones, si quæ supersint, vel veritatem, vel concordiam ita tollunt, ut apud has partes vel saltem alteram earum vera Ecclesia esse desinat, quin potius utrobique talis est & manet Ecclesia, in qua, dum hanc vitam vivimus, remissio peccatorum haberi, atque æternæ beatitudinis post hanc vitam obtinendæ jus acquiri potest. (c) Et verò non quemcunq; dissensum unitatem Ecclesiæ solvere, atque omnimodam sive absolutam ejus unitatem æquè minùs in hac vita sperari posse, quàm absolutam puritatem, ex superioribus patuit,

C



patuit, & clarè id nos Augustinus docuit. Ita namque  
(d) Epist. CXI. ille (d) scribit: *Non quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvà honorificentia, qua illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divinò adjutoriò vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis, inquit Augustinus, ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Gemina his sunt, quæ ad Paulinam (e) scripsit:

(e) Epist. CXII. *Si aliquid divinarum Scripturarum, earum scilicet, quæ Canonica in Ecclesia appellantur, perspicuà firmatur auctoritate, sine ulla dubitatione credendum est. Aliis verò testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendam fidem habere, vel non habere perpenderit.* Faciant jam Bellarminus æquè ac ineptiens Chiliaista periculum, an de quibus in Ecclesia nostra diceptatum fuit, ad ea queant referre, quæ ita divinarum Scripturarum perspicuà firmentur auctoritate, ut salvà fidei salvificæ integritate circa ea ipsa dissensus nullus locum inveniat, an verò ex eorum numero sint, à quibus salvà aliter sentientium honorificentia recedere sit integrum? Certè non omnes quæstiones ita sunt comparatæ, ut inter dissidentium **LICET**, & nostrum **NON LICET** natent & remigent anima populorum; ut verba Optati Milevitani cum Donatistis seriò

(f) libr. VI.  
contra Dona-  
tistas.

(g) Loc. de Ec-  
clesia. n. 231.

configentis (f) huic negotio accommodemus. Pariter B. Gerhardus inter *unitatem absolutam & unitatem fundamentalem* distinguens, hanc quidem Ecclesiæ militanti rectè tribuit, illam verò propter hujus vitæ imperfectionem requirendam non esse censet. Ita enim (g) inquit: *Addendum etiam illud, quòd VNITAS FIDEI & doctrine in hac vita non sit perfecta & numeric omnibus absoluta: quandoque enim inter vera Ecclesia membra incidunt controversiæ, quibus sancta illa unitas non discinditur. Distinguendum igitur inter unitatem ABSOLVTAM, perfectam, & dissensionis omnis expertem, qua in Ecclesia triumphantem demum locum habebit; & inter unitatem FVNDA-  
MENTALEM.*



TALEM, qua in consensione principalium articulorum consistit, loet de nonnullis fidei capitibus minus principalibus, vel de ceremoniis adiaphoris, vel etiam de interpretatione quorundam Scripturae locorum controversia incidant: ac talis est illa VNITAS, qua in Ecclesia militante locum habet. In ea enim nunquam reperitur tanta concordia, quin dissensionibus quibusdam sit permixta. Ex parte enim in hac vita cognoscimus, & ex parte prophetamus, I. Cor. XIII. 9. — Ut certum sit, omnimodam & omnibus numeris absolutam VNITATEM in hac vita non esse sperandam, ac proinde non quodlibet dissidium Ecclesiae unitatis communionem tollit. Gemina reperiuntur apud Andream Keslerum (b) digna, quae huc quoque transferantur. Quod attinet, inquit, ad unitatem consensus, quae membra Ecclesiae inter se invicem concordant, Ecclesia Universalis est una & sub ea particulares Ecclesiae, & omnia omnino membra. (1) Ratione veri Christianismi in praxi, quia omnia ac singula genuina vera Ecclesiae membra per Verbum Dei convertuntur per salvificam fidem in Christum ac per Spiritum Sanctum reguntur, & ad unam vitae aeternae hereditatem conservantur. (2) Ratione fidei & doctrinae. Sed hic iterum distinguendum est inter primarios fidei articulos, & inter secundarios, sive, inter essentialia & principalia doctrinae Christianae dogmata, & inter accidentalia ac secundaria, itemque, inter fidei fundamentum, & inter ea, quae sunt circa fundamentum. (sive, quae ad fundamentum fidei non pertinent, vel quibus affirmatis aut negatis fundamentum fidei adhuc salvum manet.) In fundamento fidei & essentialibus fidei articulis membra Ecclesiae consentiunt, in accidentalibus non necessario consensus requiritur. (3) Ratione ceremoniarum. Hic etiam distinguendum est inter ritus Ecclesiae internos, Baptismum, Cenam Domini, &c. & inter ritus externos, accidentales, adiaphoros, quorum respectu unitas & conformitas omnium Ecclesiarum particularium non requiritur. Quae ipsa si Bellarminus accuratius distinxisset & Chiliaista distinguere, erroresque suos à divina veritate alienos agnoscere didicisset, neuter eorum in rebus à fidei fundamento remotioribus nostrarum Ecclesiarum dissensionibus genium suum oblectasset.

(b) Respon. ad  
Bell. Ubiquit.  
Foreri. p. 159.



lectasset. Sed qui aliena ulcera fricare solent, eos in propriis sanandis obliuiosos esse non conuenit. Meminerit itaque Chiliaista, ne sibi quidem cum Cadmaeis suis fratribus per omnia conuenire; ideoque eidem cum illis prius transigendum esse, quam alios queat sollicitare. Componat prius Anabaptistarum, quorum progenies est, sectas atque Pietistarum, quorum pars haud postrema esse cupit, inter se non omni ex parte conuenientium diuersas opiniones conciliet, quam alienas sugillando laureolam in mustaceo quærat. Bellarminus uero uel nobis tacentibus in Ecclesiis Pontificiorum satis reperiet, quod aures sibi fricate ac uellicatae possit. Siquidem in Pontificia Ecclesia Doctores & Scriptores publici, imò integri ordines inter se dissident, aspidente & liti dirimendæ se imparem præbente Pontifice summò, dissensionibus suis se inuicem conficientes. Quis nescit lites inter Franciscanos & Dominicanos de immaculata B. Virginis conceptione intercedentes, ne huc usque quidem ullò Pontificis decretò terminatas? Quem latent Jesuitarum & Dominicanorum de gratiæ auxiliis, illorum etiam & Jansenistarum de æterno Prædestinationis decreto dissidia? Quibus in controversiis ipsi quoque Pontifices sententiam suam suspenderunt. Ut taceamus Jesuitarum cum Galis Theologis de infallibilitate Pontificis in quæstionibus facti, de Curatorum & Monachorum circa munus care prædicandi; de B. Virginis & imaginum cultu, de Regalibus, de Papæ in Reges potestate, de Superioritate Papæ & Concilii, de Peccato Philosophico & Theologico disceptationes. Quis est, qui negare possit, per Scholasticos & Jesuitas nonnullos Pelagianorum hæresin esse reductam? adeò, ut nec Claudii Espencei, Parisiensis Theologi, de Ecclesia Romana querelas Nicander à Hohenegg. Soc. Jes. (i) dissimulare potuerit. Quæ sanè lites latius se essent diffusuræ, nisi primatus Papæ homines istiusmodi adhuc contineret. Quod itaque Bellarminus aut hyperaspistes ejus ad hæc responsurus esset, id quoque sibi responsum iri faciliè poterit subsolvare. Quamuis uero neque

(\*) Hist. Pa-  
patus S. 221.



que Doctorum quævis diffensiones Ecclesiæ particularis unitatæ, neque particularium Ecclesiarum quælibet diversæ doctrinæ Ecclesiæ universalis unionem pessudent, sed *diversum sentire* nonnunquam sit integrum, quantum tamen fieri potest, opera nihilominus est danda, ut diffensiones, agnitâ veritate, vel amicè ac fraternè componantur, vel à mutuis condemnationibus ablineatur neque ulterioribus contentionibus ad vulnera Christi in corpore ipsius amplianda occasio vel fomes præbeatur. Multum huc faciet, si status cujusque quæstionis controversæ rectè & sollicitè formetur: rationumque momenta hinc inde juxta Scripturam sacram, primitivæque Ecclesiæ consensum, omnemque fidei analogiam in timore Domini expendantur, simul etiam circa singulas quæstiones ratio habeatur, an & quò usque ad ipsissimum fidei salvificæ fundamentum pertineant, an propiùs illud contingant, an verò ab eodem sint remotiores? Sed & in singularum quæstionum controversarum tractatione prudentiâ opus est, ac sollicitè cavendum, ne ab *ὑποτάσει τῶν ὑγιαίνοντων λόγων* recedatur, sed *ea cum fide & charitate, que in Christo Jesu est, sollicitè servatâ*, (k.) novis & inusitatis, vel etiam suspectis locutionibus animorum distractioni ansâ nulla suppeditetur. Atque huc nostros ducere solemus Auditores, ut non solum sacra Dogmata cum fidei, tum morum rectè intelligere, eaque ex Scripturâ Sacra dextrè confirmare, verùm etiam de iis secundum fidei analogiam rectè judicare, quin & si opus fuerit, *ἵς ἀντιλόγους ἐλέγχειν*, imò *ἐπισομίζεν* (l.) valeant. Istiuc etiam (l.) Tit. I. 9. II.

C 3

FRAN.





FRANCISCVS GEORGIVS Buchsch /  
 Lünæburgensis.  
 VLRICVS WOLFGANGVS SIEGFRIEDI,  
 Burgenfis Saxo.  
 HIERONYMVVS CHRISTOPHORVS Lauterbach /  
 Lünæburgensis.  
 JOHANNES FRIEDERICVS Overbeck / Wipertshusa  
 Lünæburgicus.  
 WERNERVS HENRICVS Strauß / Gartzâ  
 Lünæburgicus,

qui sicuti per aliquot annos suam cum in Philosophiâ, tum in Theologiâ studiis industriam mihi probârunt, ita & eandem Vobis, Studiosi Optimi, publicis speciminibus luculenter ostendent. Quorum laudabilibus conatibus non solum favere, sed & eosdem imitari vestri erit officii. Neque verò etiam hujusmodi exercitiorum fructus ad ipsos disceptaturos tantum spectabit, sed & ille ad Vos quoque largissimè cum scœnore est dimanaturus. Quapropter Vos etiam atque etiam rogamus, quin imò hortamur, ut singularum disquisitionum nostrarum diligentes & attentos auscultatores Vos præbere haud gravemini. Facient verò illæ non solum ad uberiorem eruditionis vestræ apparatus comparandum atque ad majorem veritatis divinæ, cujus scientiam non sine laude vestra affectatis, confirmationem, verum etiam exemplum in hujusmodi disputationibus rectè & prudenter versandi inde capietis. Primam disputationem proximò die Mercurii d. XXXI. Octobris institumus, reliquas ex consuetò locò ordine indicabimus. Valete omnes, ac res vestras porrò præclarè gerite! P. P. in illustri Academia JULIA d. XXIV. Octobris  
 clo 13 cc III.





JOH. CARTHOLDI WÜRMBERT.  
RECTORIS UNIVERSITATIS  
PRAEFATIO  
PROGRAMMA  
LECTIONIBUS  
CONTRA  
NEO-PHOTINIANOS  
ET  
SOCINIANOS















00 4 6466

ULB Halle  
002 937 239

3



Sb.


V0 17

2000


HL 74











17

JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI,  
Phil. & SS. Theol. D. utriusque Pro-  
fessoris Publ. Ordin. Facultatis Philoso-  
phicæ Senioris

# PROGRAMMA,

DISPUTATIONIBUS PUBLICIS

EX

THEOLOGIA DOGMATUM

FIDEI

*Singulis hebdomadibus instituendis  
præmissum.*



HELMESTADII,

TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.  
Anno MDCCIII.